

dæus Justinianus, cum quo duo Taurisínorum millia in castra venere. Tergestini cernentes, opes Venetas quotidie invalescere, circumspicere cœperunt, unde sibi auxilia quærere possent. Placuit itaque ad Ducis Austriæ opes confugere, ejus fidem auxiliumque implorare, illi urbem, agrum, omnia divina humanaque tradere. Missi ad hoc ipsum publico nomine oratores, a quibus deditio facta est. Barbari signa summa turri subito erecta. Nec ita multo post cum decem millibus equitum, peditatuque amplissimo barbarus affuit. Veneti interim hostilem agrum populati, omnia fere oppida urbi circumjecta suæ ditionis fecerant. Germani repente Veneta castra invadunt, tanto impetu coorti, ut momento temporis vallum occuparent. Vix subitus ille ardor sustineri potuisset, nisi audito clamore, milites sociique navales ex proxima statione suis magnopere laborantibus mature opem tulissent: sub quorum adventum ita remissus est, ut hostes a castris non modo aversi sint, sed fœda quoque clade accepta, abire compulsi. In diem unum barbaro petenti concessæ induciæ ad corpora sepelienda. Mox una adversa pugna fractus, quum cerneret se nil circa Tergestum sedendo profecturum, nec Venetum a Tergestinorum cervicibus tam facile revelli posse, invitus inde copias in Germaniam abduxit. Sub ejus discessum Tergestini omnem aliam externam opem desperantes, certis conditionibus imperium recepere. Quo recepto, victor exercitus, viatrixque classis domum reversa est.

Nec diu civitas in ocio fuit, novo bello cum Francisco Carrario orto. Suscepti belli origo a tyranni injuria profecta dicitur: qui solum loco stagnis proximo, quod Venetorum finium esse constabat, & haud procul inde circa paludes aliquid adimebat. Ea injuria Veneti adacti, confessim urbis commercium navigationemque Patavinis occludunt: erantque hæc (quis nescit?) certissima belli semina. Finitimi vero Principes moleste admodum ferentes, Patavinorum causa urbica negocia suis adempta, enixe dant operam, ut sopita discordia, Veneti cum illis in

gra-

1368

*Veneti pro-
spere in Du-
cem Au-
stria &
Tergestinos
pugnant.*

1371